IX 5

D. D.

DISPUTATIO PHYSICA
De
MOTIBUS TERRÆ,

Quam
Ex conſenſu Ampliſſimi Senatus
Philoſophici Regiæ Academiæ
Upſalenſis,

PRÆSIDE
Celeberrimo VIRO
M. HARALDO VALLERIO,
Matheſ. Prof. Reg. & Ordin. atque
hoc tempore Decano Spectabili,
In Auditorio GUSTAVIANO Majore
d. 4 Octobris Anno 1702.

Ad publicum examen, qua par eſt
modeſtia, defert
PETRUS GUDHEMIUS,
V. G.

HOLMIÆ,
Literis Wankifwianis. J. H W.

Dni Mor

Reverendiſſimo
PATRI ac DOMINO
Mag. JESPERO
Swedberg
S. S. Theol. Profeſſori primario Ampliſſimo, ut & Eccleſiarum Upſalienſium Paſtori graviſſimo; nunc vero confirmato Scarenſium Epiſcopo Eminentiſſimo,

MÆCENATI MAGNO.

Hoc qualecunq; exercitium in devotiſſimæ precatione, offert

A. &

Admodum Reverendo ac Præclariſſimo
DOMIMO
[M]ag. MAGNO Bredberg/
S. Theol. Lectori in Gymn. Scar.
[la]udatiſſimo, Paſtori in Giöthene digniſſimo,
[&] adjacentium Eccleſiarum Præpoſito adcuratiſſimo, Promotori certiſſimo.

[P]l. Reverendo atq; Doctiſſimo DOMINO
[D]n. OLAO GUDHEMIO,
[P]aſtori in Böne vigilantiſſimo, Patri Cariſſimo, debitis obſequiis æternum proſequendo.

Pl. Reverendo Doctiſſimoq; DOMINO
Dn. ANDREÆ Råberg/
[P]aſtori in Wennersborg meritiſſimo, Fautori ac Patruo ſemper ſuſpiciendo.

[…]entis Signum cum omnigenæ felicitatis ad-[…] dedicat

Omnia continuo rapidos ver
tuntur in orbes,
Naturâ motus perpetuan
te ſuos.

Theſis I.

DE Motibus Terræ quoniam acturi ſumus, pauca in anteceſſum de natura & conſtitutione terræ interioris præfari convenit. Conſtat illa partibus tertii elementi tam craſſis, ut globuli ſecundi elementi, ordinario ſuo motu eas ſecum non abripiant, ſed tantum deorſum ad centrum premendo graves reddant; unde arctius invicem nexæ ac implicatæ, corpus denſum & com-

pactum conſtituunt, quale eſt noſtra terra. Hæ particulæ figuras habent valde irregulares, quæ magnitudine & ſoliditate ab invicem plurimum differunt; unde omnes, quas cernimus, exterioris terræ inæqualitates, proveniſſe deprehendimus. Eandem ob cauſam ad motum quoq; minus aptæ ſunt hæ particulæ, ex quo ſequitur eam duram ſolidam & ſiccam eſſe debere; quoniam ex corporum quiete hæ qualitates proveniunt ac exſurgunt. Et quamvis hæ partes ſibi mutuo ita incumbant, non tam aptè tamen ſimul junctæ ſunt, quin per multa intervalla ac poros inter ſe relinquant, qui nihil aliud ſunt quam meatus, cavitates, caver-

næ

næ ac foramina partium internarum, modo majores, modo minores, pro figura, magnitudine ac æqualitate particularum ex quibus componuntur.

Theſ. II.

ITa in terra interiori reperiuntur multi meatus oblongi, qui, eodem modo ac venæ & arteriæ in corpore animali, per varios ductus, modo in unam modo in aliam terræ partem complicantur, per quos particulæ aquæ, utpote læves, oblongæ & flexiles ex irregulari pororum & particularum ſitu adjutæ, propter incumbentis athmoſphæræ preſſionem continuè feruntur, & iterum per circulum ad mare, unde pro-

greſſæ ſunt, regrediuntur. Has intra cæca profundioris terræ viſcera concluſas, ex poſteriori ab effectis deducimus ab innumeris terræ fontibus, hydrophylaciis, ac marium & Oceani profundis vorticibus, quos multis in locis quotidie obſervamus. Horum vorticum maximus, teſte Kirchero in Mundo ſubter: eſt in Oceano ſeptentrionali circa littora Norvegiæ, tredecim in circuitu milliaria continens, tam voracis naturæ, ut omnia infra ſex horarum ſpatia abſorbeat, totidemq; horis incredibili cum fragore evomat. Ejusmodi meatus inter mare Perſicum, Caſpium & Nigrum; inter mare Mortuum & Rubrum; inter Rubrum & Mediter-

diterraneum, aliaq; multa deſcribit Kirch. ex quibus omnibus infallibili conſequentia perplurimos terræ interioris meatus ac venas aquam ducentes, dari ſtatuimus.

Theſ. III.

PArticulæ terreſtres cujuſcunq; ſint magnitudinis ac figuræ, cum ſingulæ ſeorſim primi elementi motum ſeqvuntur, ignis formam acquirunt, qui, quomodo accenditur, in ſequentibus dicemus. Hunc alias terræ cavitates per totum terræ globum diffuſas, occupaſſe, nemo eſt qui dubitat; præſertim cum nulla fere regio ſit quæ montes ignivomos non exhibeat. Horum o-

mnium maximus cenſetur Ætn
in Sicilia, tam formidandun
ſpectaculum, ut horreſcentibu
pilis, & vertigine gyrante ca
put, illud ſine metu vix ullu
inſpicere queat. Hunc mon
tem Virgilius lib. 3. Æneido
ita deſcribit:

Sed horriferis juxta tonat Ætn
ruinis:
Interdumq; etiam prorumpit ad æther
nubem
Turbine fumantem piceo & cadente fa
villa,
Attollitq; globos flammarum & ſidera lam
bit:
Interdum ſcopulos avulſaq; viſcera montis
Erigit eructans, liquefactaq; ſaxa ſub auras
Cum gemitu glomerat, fundoq; exæſtuat
imo.

Nec ignis ex continenti ſolum
& montibus ſed in ipſo Ocea-
no

no eructat; quod Columbus & Veſputius in hiſtoria novi orbis detecti teſtantur, ubi partem maris Atlantici flammis & ignibus maxime infeſtam, magno ſuo cum periculo experti ſunt.

Theſ. IV.

UT particulæ tertii elementi motum materiæ primi elementi ſequentes, ignem conſtituunt; ita illæ inter globulos ſecundi elementi volitantes aërem componunt. Quam utiles autem corpori humano ſunt pulmones ad reſpirationem, tam neceſſarius eſt terræ viſceribus aër, ſine quo œconomia globi terreni ſubſiſtere poſſe non videtur. Hinc in-

gen-

gentes cavernarum receſſus atque aëreos ductus intra terram Natura conſtituit, quod innumeris monſtrari poſſet exemplis. Ita in montibus Tibeth, ubi Ganges naſcitur, nonnulli meatus per omnes fiſſuras, horribili ſonitu & fremitu ventos emittunt; quod in montibus Æthiopiæ & Andibus in America quoque contingit In Gallia inter Marſiliam & oſtium Rhodani campus eſt centum ſtadiorum ſilicibus refertiſſimus, e cujus fundo ventus tanta vi erumpit, ut ſilices per turbinem, more grandinis elevet, hominesque ſternat; quin & e curribus ejiciat, armisque denudet ac veſtibus. Plura qui deſiderat e-

xem-

xempla adeat Athanas. Kirch. in mund. ſubter. Varenium aliosque Geogr. recentiores.

Theſ. V.

SUnt & quidam meatus variis ſulphureis atque oleaginoſis effluviis ſpiritibusque acribus repleti, qui unde & ex quibus conſtant monſtrabimus. Particulæ aëreæ aliæque ramoſæ exhalationum tenuiſſimæ, tenuioribus ſpirituum particulis annexæ, ſuccis acribus & metallicis quibusdam particulis admixtæ, ſulphur bitumen & omnia alia pingvia conſtituunt atque componunt. Particulæ vero acres & rigidæ caloris vi hinc inde per anguſtos meatus ac poros terræ ductæ,

duriſque eorum parietibus al-
liſæ atque affrictæ, inſtar gla-
diorum acuuntur, eoque modo
ſuccos & ſpiritus acidos & e-
rodentes producunt.

Theſ. VI.

EFfluvia hæc variis mo-
dis poſſunt accendi; cum
enim globuli cœleſtes multa
terræ ſpatia occuparint, exi-
guos hoſce angulos materia
primi elementi replet, inque
illis celerrime movetur. His
verò ſolis angulis contenta
non ſatis habet virium ad par-
ticulas terreſtres ſecum rapien-
das, & ad ignem excitandum.
Ut itaque ignis formam aſſu-
mat materia tertii elementi,
debent globuli illi aliqua vi ex-
pelli

pelli ab intervallis nonnulla-
rum particularum terreſtrium,
quæ deinde ab invicem dis-
junctæ, inque materia primi
elementi natantes, a celerrimo
ejus motu rapiuntur, ſicque
ignis eſſentiam recipiunt. Hic
vero ignis ut conſervetur erunt
hæ particulæ terreſtres ſatis
ſolidæ & craſſæ, ejusque fi-
guræ, ut vim habeant globu-
los cœleſtes ex hoc ſpatio ex-
pellendi; quales ſunt omnes
particulæ ramoſæ, pingues,
oleagineæ & in omnibus li-
gnorum ſpeciebus. Ad ignem
itaque excitandum ſufficit
omnis motus ſatis violentus
& varius: ſic excutitur ignis
ex ſilicibus, cujus particulæ du-
ræ & rigidæ, celerrime circa

centrum rotatæ, ſtatim igne-
ſcunt, & quamdiu in materiam
primi elementi ſola fluitant, lu-
cent & calefaciunt. Idem con-
tingit dum multæ exhalationes
congregantur, quæ ſibi invi-
cem admixtæ, poros ſuos ita
coarctant, ut globulis cœleſti-
bus expulſis, ignem concipi-
ant. Eodem modo ubi ſpiri-
tus acres craſſarum exhalatio-
num meatus pervadunt, glo-
bulos cœleſtes expellunt, atq;
ita igneſcunt, & in flammam
prorumpunt.

Theſ. VII.

His modis ignis excitatus,
ſi forte in terra interiori,
in rimas & cavitates variis ex-
halationibus ſulphureis & ole-
agi-

aginoſis oppletas inciderit, illas momento temporis accendit. Et quemadmodum pulvis tormentarius, qui partibus valde combuſtibilibus, ut ſulphuris, nitri & carbonis componitur, ubi ignem concepit, maximum ſpatium gyrando occupat, & obvia quævis facile disrumpit: ita hæc effluvia hoc modo accenſa, & celerrime com̃ota, majorem ſpatii ſphæram ſingula requirunt, ideoq; carceris ſui parietes magna vi concutiunt, unde terræ oriuntur convulſiones & motus.

Thes. VIII.

Nec exiſtimandum eſt hos terræmotus toti terreſtri globo ſimul communicari, quip-

quippe ſpiritus terræ cavernis inclusi, eorumq; motus ac vis ad totam terram nullam ſenſibilem habent proportionem. Hinc communiter in uno loco eveniunt hi terræ motus, ubi una tantum continua cavitas, hac pingvi materia abundans, & ab aliis longe remota, reperitur; vel ubi exhalationes proprii viciniq; loci in unum coierint. Hos Particulares terræ motus appellat Ariſtoteles, qui non diu durant, ſed pro ratione materiæ, vel ſubito erumpunt, vel obſtrictis meatibus, ſive deficientibus ſpiritibus mox deſinunt. Interdum vero per longos terræ tractus continuant hi terræ motus, ubi plures ſulphureæ cavernæ per

ma-

magna intervalla ſibi adhærent; vel ubi, materiâ in una cavitate accenſâ, terraq́; ſemel concuſſa, flam̃a ad alias pertranſit, ibiq; eundem ſortitur effectum, donec parte terræ exteriores disjecta, flam̃a ingenti cum fragore eruperit. Fit hoc non tam in humilioribus locis, ſed ſæpius in altioribus, ac præcipue in montibus, quia ſub illis plures reperiuntur cavitates faciliorem flammæ præbentes exitum.

Thes. IX.

Hiſce a priori ita breviter demonſtratis, ut res clarior evadat, exemplis nonnullis eam illuſtraſſe proderit, quæ plurima tradit Athanaſius Kircherus

cherus in ſuo Mundo Subter-
raneo, quorum pauca heicad-
ducta ſufficiant. Anno 1660
menſe Junio, ingens terræ mo-
tus infeſtavit omnem illam Gal-
liæ partem quæ ſe a Burdigalenſi
urbe ad Narbonam extendit.
Erat prope Bigornium ingens
& præcelſus mons, qui feroci-
entis naturæ vi, ita abſorptus
dicitur ut præter locum ingen-
tem quem poſt ſe reliquit, nul-
lum ejus amplius ſpatium ap-
paruerit. Fuit in inſula Timor,
mons Picus nomine, tantæ al-
titudinis ut per trecenta milli-
aria flammeus in mari vertex
ſe conſpiceindum præberet;
hic Anno 1638 concuſſis per
horrendum terræ motum fun-
damentis, una cum inſula ab-
ſorptus;

ſorptus, nihil præter ingentem lacum poſt ſe reliquit.

Terræ motus qui Veſuvianum incendium præceſſit tantus fuiſſe dicitur, ut rupto maris fundo, piſces partim mari projectos, partim recedente mare, in littore relictos, una cum navibus offenderint; quos horrendi mugitus, fumus, cinerea pluvia, ingentium ſaxorum eructationes, torrentes ignei, novorum fontium bituminisq; ſcaturigines ſequebantur.

Refert Ægidius Neapolitanus in ſua de montis Veſuviani incendiis diatriba, ſuo tempore horrendum in Baſilicata Neapolitani regni Provincia caſum contigiſſe; ex formidabi-

li quippe terræ motu ibidem exorto, integrum montem vinearum cultura nobilem, ex loco ſuo in alium, tribus inde millibus paſſuum intervallo diſſitum, ſine ullo in locis intermediantibus ſui veſtigio relicto translatum fuiſſe: atq; in hunc usque diem, diuturnam inter dicti montis poſſeſſores in Neapolitano Dicaſterio, quod Vicariam vulgo vocant, litem pendere: utrum reditus ſolutionesque pecuniariæ, quas regius fiſcus exigere ſolet ex priori, ubi prius ſteterat, an ex poſteriori in quem conjectus fuerat, loco petendæ ſint. Ex quibus liquet terræmotus non ſolum montes ſubvertere, ſed etiam alio vibrare poſſe.

Ita

Ita refert inſulam S. Michaë-
lis, quæ una eſt ex Terzeris d.
26 Junii 1638, octo dierum ſpa-
tio tam formidabili terræ mo-
tu conquaſſatam fuiſſe, ut ho-
mines ſedibus relictis campos
petere coacti fuerint. Menſe
Julio ſequenti ex profundiſſimo
mari huic inſulæ allabenti, ignis
tanta erupit violentia, ut ad cœ-
lum usq, pertingeret, evecta ſe-
cum aqua, arena, terra, ſaxis im-
menſæ magnitudinis, ingenti-
bus molibus, quæ delapſa, in-
ſulam in medio Oceano com-
poſuerunt, quæ intra quatuor-
decim dies adeo accrevit, ut lon-
gitudinis ſpatium quinq; millia-
rium occuparit. Odor ſulphu-
reus per viginti quatuor millia-
ria ſentiebatur.

In Præfat. II. dicit 1638 in Tropæa tantum fuiſſe terræ motum, ut ipſe pedibus ſubſiſtere non valeret, ſed deſperata ſalute in terram ſubito proſterneretur; paulo tamen poſt reſumto animo, ad cymbam ſe cum ceteris magna mentis conſternatione contulit. Hinc Rochettam pervenit, ubi hoſpitium relinquere cogebatur, quod mox una cum circumſitis locis vehementiſſimo terræ motu ita proſternebatur, ut nihil præter lapidum magnam calcisq; copiam poſt ſe reliquerit. Poſt hæc S. Euphemiam ſubmerſam vidit, cujus locum lacus putidiſſimus occupavit. Poſtremo Nicaſtrum, Amanteam, Paulam, Belvederium tran-

tranſiens, nil aliud ad 200 millia paſſuum niſi cadavera urbium, caſtellorum ſtrages horrendas reperiit, hominesq; per apertos campos præ timore huc illucq; errantes.

Theſ. X.

PRæſenti anno accepimus Beneventum nona Martii tanto terræ motu quaſſatam ut 500 hominem ex illo interierint: Templa multa, ut & ædes Epiſcopi cum 600 aliis, ſolo æquata. Innumeris aliis exemplis relictis, in ſeptentrione noſtro notum eſt villam quandam in Norvegia verſus Gothoborgum in alto arenoſo loco ſitam, & a nobile quodam inhabitatam, hoc anno

die

die decima ſexta Februarii noctu terra obſorptam fuiſſe, cum 14 hominibus & 150 pecoribus, & 18 molis & machinis ferrariis. Baratrum poſt ſe reliquit 300 circiter ulnarum altum, & in circumferentia, ut dimidium Gothoburgi latum, cumq; terra & arena ſiccum ſine ulla aquæ gutta conſpicuum. Sub hoc arenoſo monte veroſimile eſt ingentem fuiſſe cavitatem, quæ ſubito accenſa & commota non valuit erumpere, ſed tantum ſuperiora cavernæ concuſſit, unde facta apertura, hæc ruina ſequebatur.

Theſ. XI.

HAc materia ſic exemplis il-

illuſtrata, videamus jam quæ loca his motibus maxime ſint obnoxia. Talia ſunt illa ubi terra plurimis ſulphureis abundat cuniculis, ſive illi maritimis in oris, ſive inſulis a continente remotiſſimis, ſive mediterraneis tractibus reperiantur; adeo ut nulla fere ſit regio quæ his non ſit ſubjecta motibus. Regiones autem montibus ignivomis viciniores ſæpius hoc experiuntur malum; unde Sicilia, in qua eſt mons Ætna, novem annis terræ motibus concuſſa fuit; nec hæc tantum aliæque inſulæ huic vicinæ, ſed etiam ipſa Italia multoties tremuit. In Zona torrida ubi dies fervidiſſimi, noctes vero frigidiſſimi, fre-

quentiores quam in ceteri
ſunt terræ motus; quia ſpiri
tus ſulphurei ex radiis ſolari
bus & igne ſubterraneo magna
copia commoti, dum ſeſe ex
plicare conantur, propter ma
jus ſpatium quod neceſſario
requirunt, non poſſunt non
terram undiq; premendo va-
riis eam modis concuttere ejus-
que tremorem producere.

Theſ. XII.

SUnt quædam regiones vel
partes terræ ab his motibus
fere immunes, ſive ubi quam
rariſſime obveniant, inter quas
noſtræ Septentrionales nume-
randæ ſunt; quippe hic tem-
peratus eſt calor, & terra ſoli-
dior ac minus poroſa, nec ſol
ſuis

ſuis radiis adeo terram ferit, ut tantam halituum copiam emittat. Accidit quidem terræ tremor in Polonia ſub Cazimiro Rege, hoc tamen adeo rarum & inſolitum fuerat, ut magni prodigii loco haberetur. In Sveciæ Gothiæque provinciis caſus eſt rariſſimus, ut & in Anglia. Refert Kircherus in regionibus meridionalibus loca inveniri non adeo ſæpe terræ motum perferrentia, ſic autem loquitur; *Collegi quoq; illa loca iis minime obnoxia eſſe, quæ aut hydrophylaciis ſuperimpoſita fuerint, aut plurima humiditate, ex multitudine lacuum, ſtagnorum paludumq; abundarint, uti Hetruria; quæ etſi combuſtibili materia abundet, ſulphureisq; glebis tota terra incruſtata ſit; non tamen adeo frequentes ibi naſci terræ motus, uti in*

regionibus ſiccis, eo quod exhalationes ſub terraneæ, ſi quando accenduntur, ex vici na humiditate exſtingvantur ſupprimam turq; quod niſi eſſet, jam dudum de He truria conclamatum crederem. Plin hiſt. nat. dicit: Locris & Cra ſtone peſtilentiam nunquam fuiſſe, nec ullo terræ motu la boratum. Seneca Quæſt. Nat Lib. 6. Cap. 26. aſſerit Ægy ptum raro moveri quia con crevit ex limo quem Nilus af fert turbido affluxu, quam obrem nulla intervalla habet areſcente in ſolidum limo, ni hilque inane quod interveniat & ſpiritum includat; aliquan do tamen illam motam fuiſſe conſtat.

Theſ. XIII.

ANte hoſce terræ motus ſigna

ſigna quædam obſervata ſunt, Ariſtoteles Cap. 8 Meteor. ita ſcribit: *Solis caligo & obſcuritas ſine nube proveniens, & venti tranquillitas atq; frigus acre, quæ nonnunquam ante exortos terræmotus accidere ſolent, cauſæ prædictæ indicio ſunt.* Ratione addita: *nam & ſolem caliginoſum fieri obſcurumque, & cum dies inſtat, atq; diluculum appetit, tranquillitatem atq; frigus oboriri, incipiente condi in venas terræ ſpiritu, quæ vim diſſolvendi diſcernendiq; aërem obtinet, neceſſum eſt.* Præcedit etiam motum ſonus qui fit ex ſpiritu tenuiſſimo terræ cavernas permeante, qui ex objectis corporibus ſolidis, variisque cavernarum figuris, varios edit ſonos, unde Virgilius:

Sub pedibus mugire ſolum & juga celſa moveri.

Qui montes ignivomos accolunt,

ſunt, multis diebus antequam ſæ-
vire incipiant, teſtantur ſe ſonit⁹
haud abſimiles bellicorum tor-
mentorum exploſioni perce-
piſſe. Ante hos quoq; turbi-
dior aqua in puteis, non ſine
odoris tædio reperitur. In Ly-
cia ſemper ante terræmotum
40 dies ſerenos eſſe affirmat
Plin. Cap. 96. Hæc ſunt pau-
ca in præſens producta pro ra-
tione ingenii ac ætatis, quæ ut
Benevolus Lector benigne
interpretetur, magnopere
contendo.

S. D. G.

Pereximie Dn. Petre Gudhemi *Popularis & Amice ſincere!*

TArtarum ex Terra Typhonem aliquando immani magnitudine ſpecieque portentoſa procreaſſe, cui centum manus centumque Draconum apita ex humeris enata erant; Jovem autem Giganti huic omnium fere maximo, quod Deos ad certamen provocaverit, fulmine percuſſo, & jam flagranti Trinacriam inſulam ſuperimpoſuiſſe, paſſim Poëtarum leguntur fabulæ. Hinc Ætnam montem adhuc ardere ajunt; Typhonemq́; tantis etiamnum viribus reluctari, ut, terra quaſſa, interdum moveatur: quin & frequenter & compluribus locis, nunc fumum, nunc flammas arenarumque moles eructet: imo tantum aliquando patiatur impetum, ut magni montes, totaque oppida horribili ruina ſubvertantur. Unde Ovidius L. V. Metam. de ſupplicio Typhonis eleganter canit:

Degravat Ætna caput, ſub qua reſupinus arenas
Ejectat, flammamq; fero vomit ore Typhœus
Sæpe remoliri luctatur pondera terræ,
Oppidaq; , & magnos devolvere corpore montes:
Inde tremit tellus.

a Poëtæ, qui veritatem ſub quibuſdam quaſi

invo-

involucris magna ingenii felicitate compre-
henderunt, ſatis argute & ingenioſe terr
motus indicaſſe videntur. Exiſtimaverim e-
nim illos per Typhonem nihil aliud quam
gnis exhalationumque impetum in locis inte-
rioribus deſignaſſe. Typhonem enim a græ-
co τύφω ſæpe impetuoſam ventorum volatio-
nem denotat, ut apud Luc. Lib. 3.

Et fratribus mixtis avidos Typhonas aqua-
rum,
Detulit.

Centicipitem autem & centimanum finxerunt
ad ſignificandum ſpirituum in terræ cavern
vehementem motum & violentiam, a quibu
terra ita ſæpe concutitur, ut moveri quaſi ſen-
tiatur, magnumque naturæ facinus patiatur
Ceterum Poëtarum opiniones hac ſuper re
examinare doctis relinquo. Quid ſit hic mo-
tus, quæque ſint ejus veræ cauſæ, Tu perexi-
mie Domine GUDHEMI erudita tua, de Ter-
ræ Motibus, diſputatione eleganter oſtendi
Arduum ſane argumentum tractandũ ſumſiſti
verum ingenii tui acumine, indefeſſa oper
ſedulaque lucubratione id molle effeciſti. T
ſtrenuum Muſarum eſſe ſatellitem, qui no
facilima, ſed difficilima adgreſſus es, bon
omnibus probas. Tibi itaque ex animo gra-
tulor magnum ingenii acumen, eximiumque
hoc eruditionis ſpecimen, quo Te ex liqui-
d

dis Philoſophiæ fontibus impigre bibiſſe declaras. Felix cœptis virtutum inſta, curſumque etſi arduum abſolvere perge. Ego altisſimum Numen devotis ſollicito ſuſpiriis, ut de cetero cuncta etiam Tua inſtituta benignis dignetur auſpiciis, felicioribus provehat ſucceſſibus, & tandem eventu exoptatiſſimo beet!

Tui ſemper amantiſſimus

PETRUS RHYDENIUS.

Pereximie Domine

PETRE GUDHEMI

Amice integerrime & Popularis honoratiſſime.

QUanta artium liberalium ſit præſtantia, quantaque dignitas, haud obſcure indicavit eruditionis Princeps Seneca, in talia erumpendo verba: *Vita non vita ſine literis, ſed mors, hominisq; vivi ſepultura.* Eloquium, quod ſane ab homine ethnico prudentius, effatum, quod verius vix efferri poſſet: nam homo absq; literis, quid aliud eſt, ſi verum fateri fas ſit, quam animal quoddam

ratio-

rationis quaſi inops. Sed è contrario literaturæ & doctrinæ nitidioris honeſtamento nobilitatus ornatusque eſt omnium ſpiritum in hac lacrimarum valle trahentium, feliciſſimus. Inde Thales Mileſius cuidam percontanti, quis eſſet felix? Reſpondiſſe fertur, qui corpore ſanus animo autem eruditus eſſet. Quid proinde ex hoc vitæ ergaſtulo hominibus jucundius eſſe poteſt, quid amabilius, quid magis illis expetendum, quam eruditio & doctrina? Hæc igitur cum tam nobilis ſit, tam multis celebretur laudibus, tantis ornetur præconiis, rebusque omnibus anteponatur mundanis, ad eam comparandam impiger Mi Amice fere à cunis omnem adhibuiſti operam. Hujus Tuæ doctrinæ ſpecimen nunc edis non vulgare, ſed enixo ſtudio diligentique opera elaboratum, de Terræ Motibus, qui, unde oriuntur, Tu mi Amiciſſime, ſatis ſuperque manifeſtum reddis, licet hac de re variorum auctorum variæ extent ſententiæ. Hos motus fieri & fuiſſe, indices erunt Antiochia, ubi ingens Terræ Motus factus eſt; & multis civitatibus, præſertim Antiochiæ, magna clades allata; Et Smyrna, quæ ingenti Terræ Motu conquaſſata. Quænam, inquam, horum ſit cauſa everſionis, ex Tua, doctiſſime GUDHEMI diſſertatione peregregia manifeſtum habebimus, Quam ob rem gratulor Tibi impenſe egregias profecto & ſplendidas ingenii Tui

divi-

divitias, ut & ſpecimen hocce Academicum ſatis egregium; gratulor Tibi indefeſſam Tuam operam, quam in acquirendis ſcientiis impendiſti. Gratulor denique Parenti Tuo Clariſſimo, Filium haud degenerem, ſed ejus veſtigiis ſtrenue inſiſtentem. Et quia probe noverim me in Tuam peccare modeſtiam, ſi prolixioribus Tuam humanitatem & virtutem proſequi conarer laudibus, ideo, ſicut conveniens eſt, ut quibus gratulemur, iisdem proximo etiam loco bene precemur, precor & obteſtor Deum Ter Optimum Maximum ex intimis cordis receſſibus, ut Tibi ii ſint exitus, quos mereris: quos etiam fore confido.

NICOLAUS MITANDER.

Eximio atq; Ornatiſſimo Juveni

Dn. PETRO GUDHEMIO,

De Motibus Terræ

publice diſputaturo.

SIccine rimaris, quæ vis hæc Dædala partu
Protulit, & pariter, quæ ſit natura requiris
Viſceribus terræ; cur ſic tremebunda gemiſcat.

Id

Id cerebrum torſit multorum, motibus ipſam,
Quum tremuiſſe, vident (grave pondus in aere pendens)
Terram, quid motu tantum pulſuq́; vacillet,
Ut montes, ſilvas, tetraque voragine quid non
Sorbeat, ut ſævum fera vis deducat hiatum.
Hinc dum Caſtalium tanto molimine culmen
Conſcendis, Tibi erit pretium non vile laboris;
Libabis dulcem de Pindi vertice rivum.
Præclaro Patri, ſimul ac ætate verendo,
De ſtudiis nati ſincero pectore grator:
Et tu conſequeris laudes: Tibi prona Bonorum
Per natale ſolum reſonent encomia: juſta
Pierides nectent faciles Tibi ſerta laborum.

Sinceri affectus teſtandi ergo
promtiori animo quam ve-
na gratulari debui & volui

JONAS UNGE.